

Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt. III. Enodatio tertia ænigmatis ab Apollinare, Verbum ex parte carnem factum esse, per transitum verum ac conuersionem in carnem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

dum sanctissimam atque beatissimam, Spiritus sancti quasi vnigenitam filiam.] Additque Lucifer Calaritanus Ide non parcendo in Deum delinquentibus, absurde Simones nuncupasse Photinum & lucidum, quem *εὐαγγελιστὴν*, seu tenebrosum nominare par fuerat.

85. Fundamentum vnicum Photini, ductum ex appellatione Verbi, scitè eueritur à Theodoro Ancyranus homil. de Natali Saluato, tomo. 6. Conc. Ephes. cap. 10. [Deum verbum nostrum (inquit) prolaticum in subsistentis Dei verbi exemplum assumo; nemo existimet, nos Dei Verbum productili nostro simile censere; absit: Nam dum sacra diuinaque scriptura, vnigenitum Dei filium Verbum nominat, solam natiuitatis ipsius imparibilitatem per hoc insinuat: Nam & humana quoque mens, citra patibilitatem verbum suum generat. Etenim scriptura sacra vnigenitum, modo Patris filium appellat; nonnunquam Verbum nominat; interdum etiam Patris splendorem vocat. Quolibet autem horum nominum eo sine ipsi accommodat, vt intelligat, quæ de Christo passim dicuntur, ea procul abesse ab omni omnino blasphemia. Aliàs enim alijs nominibus ipsum designat, dum congruam diuinæ gloriæ conuenientem doctrinam tradere studet. Exempli causa, naturæ consubstantialitatem asserere volens, vnigenitum, Patris filium vocat: Nam & tuus quoque filius, eiusdem tecum nascitur natura. Vnam itaque eandemque Patris & Filij substantiam esse, ostendere volens, vnigenitum ex Patre natum, Patris filium appellat. Deinde verò quoniam filius, eiusve qui nascitur, ortus, passionem apud nos denotant, ideo hunc Dei filium verbum nominat, natiuitatis imparibilitatem nomine hoc exprimit: verum enim verò quod quis in humanis pater, quatenus homo, citra vllam controuersiam filium suum ætate antecedit. (Nam ipsum paternitatis vocabulum id secum fert, vt Pater necessarîo ante filium existisse, intelligatur;) ne istud diuinæ quoque naturæ accidisse suspiceris; sed ipsum vnigenitum cum Patre semper existisse confitearis; vnigenitum Dei filium, Patris splendorem vocat, splendor namque vnâ cum luce producit, existitque. Generationis itaque imparibilitatem Verbum significat, consubstantialitatem suam indicat, coexistentiam *splendoris* vocabulum insinuat.]

Marcellus Ancyranus, an Photini errore sorduerit S. Chrysostomo lux illata.

86. Error iste Photini, creditur item fuisse Marcelli Ancyrani. Fuit enim Marcellus, Photini Magister. Et quamuis non desint, qui dicant Marcellum per calumniam, insinuatorem ab Arianis esse huius erroris; tamen graues Patres, hoc eum crimine grauant. Ita enim disertè S. Basilus epist. 12. & S. Hilarius apud D. Hieronymum I. de scriptor. in Marcello, ac Chrysostomus homil. 6. in epist. ad Philipp. Hinc verò colligi poterit germanus sensus loci aliqui lubrici, quo S. Chrysostomus homil. 3. in ad Hebr. videri posset tradidisse errorem Nestorij, & duplicem in Christo statuisse personam. Ibi enim impugnato errore Iudeorum qui vnicam in Deo agnoscunt personam, ait eum errorem, quem mox Sabellio ac Marcello tribuit, relessi ex illis verbis ipsi 44. *Ὁμοῦ τε Θεὸς, Θεὸν τε.* Ait ergo S. Chrysostomus, ex illis verbis [Plaisis, impugnari errorem prædictum, & aperte ostendi duas personas, Deum & hominem cum hac postrema verba videantur ipsissimo Nestorij errore sordere, vt ea macula S. Chrysostomum poram præstarent, dixere nonnulli, corruptè legi apud D. Chrysostomum, colligi ex eo Plaisis loco. Deum & hominem esse duas personas. legendumque reuera esse, aperte inde ostendi. Deum & Deum esse duas personas. Et sanè Theophilactus qui abbreviatorem Chrysostomi solet agere, non ha-

bet, ostendi ex Plaisis eo loco duas personas esse Deum & hominem, quod saperet Nestorianismum, sed haberet, ostendi inde, duas personas esse Deum & Deum, quæ lectio bellissimè concinit cum scopo S. Chrysostomi, & consensione erroris Iudeorum ac Marcelli ex prædicto Plaisis loco, quo tam disertè, Deus vnctus à Deo vngente secerit. Hac enodatio loci Chrysostomi non est inuicibilis. Possimus tamen ex dictis contra Marcelli errorem, colligere germanum S. Chrysostomi sensum, nō admissio vilo apud eum modo lectionis. Nam Deus vngens qui patet Deus est, nempe Pater; & homo Deus, inunctus à Patre, omnino statui debent plures diuinæ personæ, quandoquidem Plaisis alloquens Deum hominem, inunctum, & discretè eum compellens nomine Dei, affirmat Deum ipsius, atque ad aliam diuinam personam, sic imbutum illum vngine patet participibus. Quare mens S. Chrysostomi eo loco, non fuit duas in Christo personas statuere, alteram Dei, alteram hominis: id enim repugnaret potius instituto S. Chrysostomi qui ibi pugnat contra Iudeorum & Marcelli errorem de vnica diuina subsistentia; Sed mens S. Chrysostomi fuit, duas in Patre & Verbo incarnato personas agnoscere, id quod aperte eruitur ex allegato loco Plaisis, non autem duplex in Christo persona.

C A P V T III.

Enodatio tertia ænigmati ab Apollinare, Verbum ex parte carnem factum esse, per transiitum verum ac conuersionem in carnem.

87. Aliam viam exponendi ænigmati propositi inuenit Apollinaris, dicens, Verbum factum esse hominem, quatenus factum est pars hominis, carne quæ hominis pars est Synecdochicè usurpata pro toto homine. Castè autem ac exactè locutum Euangelistam, non dixisse Verbum factum esse hominem, sed factum esse carnem, vt insinuat Verbum factum esse carnem absque anima, idque parte quadam Verbi conuersa in carnem. Ita enim disertè hunc errorem refert S. Leo serm. 8. de Nativ. Dom. c. 4. *in fine.* Audiendus etiam Vincentius Lytin. c. 17. commonit. vbi errorem Apollinaris sic refert. [Dicit in ipsa Saluatoris nostri carne, aut animam humanam penitus non fuisse; aut certè talem fuisse, cui mens & ratio non esset. Sed & ipsam Domini carnem, non de sanctæ Virginis Mariæ carne susceptam sed de cælo in Virginem descendisse dicebat eamque mirabundus semper & dubius, modò coeternam Deo Verbo: modò de Verbi diuinitate factam prædicabat. Nolebat enim in Christo duas esse substantias; vnam diuinam, alteram humanam: vnam ex Patre alteram ex matre: sed ipsam Verbi naturam putabat esse discissam, quasi aliud eius permaneret in Deo, aliud verò versum fuisset in carnem.]

Trimembris error Apollinaris ad ænigmati enodationem: Quis ipse, & quantus.

His verbis tria palmaria Apollinaris pronuntiata comprehenduntur. Primum est, quod pars Verbi conuersa sit in carnem, vt Verbum dici possit factum caro, & Synecdochicè homo. Secundum est, quod pars illa Verbi, in nudam carnem absque anima fuerit conuersa. Tercium est, quod ea caro non fuerit humana, & deprompta ex visceribus B. Mariæ, sed Sydere aque cælestis, iuxta illud, *secundus homo, de cælo cælestis.* Eodemque referebat Apollinaris, quod Christus Ioannis 3. & in Symbolo, dicitur de cælo descendisse. Cum enim hic descensus non potuerit in diuinitatem cadere, vt mendaciter Catholicis assinxere quidam hæretici apud Anastasium cap. 2. 1. 177. restat vt accipia-

ut de humanitate, id est de carne delapsa de caelo. Quia in parte præjacet Apollinari Apelles, ut referunt Tertullianus lib. de carne Christi c. 6. & Origenes homil. 14. in Lucam. Hanc celestem carnem, iuxta Apollinarem non fuisse Christo adventitiam, sed antelesticalem, & essentiam ipsius adiutam, ex libro ipso Apollinarii refert Nazianzenus orat. 46. *Sub initium*; & idem patet refert Nazianzenus in calce libri de scriptis Apollinarii, quæ Patribus supponebantur. Hæc igitur fuit tradita ab Apollinare ænigmatis propositi enodatio. Verbum ex parte est factum caro, per veram conuersionem in carnem inanimam, eaque non nostram, sed celestem.

88. Quævis iste Apollinarius fuerit, docent illa Vincenij Lyrensis c. 16. commonit. Sed forsitan eiusmodi ille vir erat, qui dignus esset facile concemni. Iam vero tantus ac talis, cui nimium citò in plurimis credideretur. Nam quid illo præstantius, acuminè, executione, doctrina? Quam multas ille hæreses multis voluminibus oppressit, quot inimicos fidei confutante errores, iudicio est, opus illud triginta non minus librorum nobilissimum ac maximum, quod insanas Porphyrii calumnias, magna probationum mole confutavit. Longum est vniuersa ipsius opera commemorare, quibus profectò, sumis ædicatoribus Ecclesiæ, præ esse potuissent. Respexit ad hanc librorum Apollinarii multitudinem, Nazianzenus orat. 51. *in fine*: ubi compellit eos qui gloriantur librorum multitudinem, moxque alidit; prolixos libros, & noua psalteria, non debuisse haberi pro tertio Testamento. Apollinarius enim expelleret versibus Psalterium Davidis. Eiusdem esse Tragediam, *Christus patiens*, quæ est apud Nazianzenum, notant alij. Et quamquam in eo opere, non cernuntur vestigia prædictorum Apollinarii errorum, tamen potuit conscribi ab Apollinari, non iam à sapiente. Nazianzenus enim orat. 14. *in fine*, dissilium cum Apollinare, vocat, facerem nec ita prode exortum. Viuebat nimirum Nazianzenus æpo Apollinarius, claus ob impugnatas hæreses, ut patet ex Vincentio dixi, & Theophilus Alexandrinus testatur epist. 1. Pasch. & S. Epiphanius ad eius causam alitè iugemilicem hæresi 77. Magistrum, cum agnoscat S. Hieronymus epist. 65. & lib. de scriptor. Ecclesiæ, ubi innumera ab eo scripta agnoscit. Cum autem in alijs quoque nonnullis errauit, ut in animæ oratione ex traduce teste D. Hieronymo epist. 82. & in scalis quas in Trinitate confecit, ut iocatur Nazianzenus orat. 51. *sub fine*. Tum nominatim circa incarnationem & Christum, nec ob aliud quam ob præpostitum Christi amorem, quod putaret honorem Christi fore, ut eius anima esset ipsiusmet Verbum; sicut testatur Nazianzenus orat. 14.

Membrum primum, de parte Verbi in carnem versa, exploditur.

89. Hærendo autem in proposita per Apollinarem enodatione ænigmatis de quo agimus, dicendum est, eam enodationem esse omnino detestandam: quia ut Nazianzenus orat. 46. rectè affirmat, omnem impietatem superat, quoad singula à tribus membris ex eo prolatis. Et quidem quod in primo dicitur, & blasphemum est, & apertissimè pugnat cum naturali ratione, quæ Deum statuit planè incorruptibilem & immutabilem. Vnde ex hac parte, Apollinarius immodicè stupidos fuit, ut rectè pronuntiavit S. Cyrillus I. de recta fide ad Theodosium. [Conuersionem (inquit) imaginatur, eius qui conuersionem nescit. Fundata enim est diuina natura in proprijs bonis, & inconcussam feruat victorem in ijs, in quibus est. Quippe natura facta & in tempore producta pateret utriusque mutabilitatem, nec foret hoc absurdum vel indecens, vel falsum.]

Theoph. Raynaudii Christus.

sum. Quod autem omnino initium sortitum est, habet quodam modo, & diuisibilitatem ut immutetur. Deus autem qui est super omnem mentem, cuius substantia à generatione & corruptione exempta est, ac superior, idem etiam maior est quam ut conuertatur, & quodammodo naturæ suæ ratione, omnibus qui esse ceperunt superior est, & superferitur eminentia incomparabili. Ita & ea quæ creaturæ suæ euenire solent, transcendit iterum, ut pati nequeat. Igitur Deus quidem in bonis est, quæ commutari nequeunt, creaturæ autem sunt in conuersione & mutatione & in fortibus habent corruptionem. Id quod sciens optime Philosophus Propheta Ieremias clamabat ad Deum, *Quia tu sedens in seculum & nos peribimus seculo.* Sed et enim quemadmodum in proprijs thronis semper regnans & imperans omnibus, & à nulla affectione infestatur. Ac, nos naturam habentes maxime vilesim, & propensissimam ad mutationem & corruptionem, perimus seculo, hoc est, omni momento & tempore corruptibiles sumus & conuertibiles. Itaque neque Deus vnquam à passionibus de propria stabilitate sua per conuersionem extrahitur. Videtis præterea fortissimè aduersus hoc erroris monstrum, bellanrem S. Athanasium epistola ad Epictetum, descripta à S. Epiphanius har. 77.

Duplex sensus alterius membri, quo anima creata negatur Christo.

90. Membrum secundum erroris Apollinarii, dupliciter potest intelligi: nempe primò, ita ut prorsus excluderet à Christo animam creatam, sed ei fuisse Verbum diuinum pro anima quacunque, censuerit. Quæ ratione philosophatus est Origenes, statuens & animam Christi, & omnium nostrum animas, eiusdem cum Deo naturæ esse statuendas, ut latè disputat Theophilus Alexand. epist. 1. Pasch. Arius vero, discretè pronuntiavit Christum caruisse anima creatâ, eique pro anima fuisse Verbum, quod proinde triste & turbatum statuebat, ut referant Leontius lib. de Sectis actio. 3. & Epiphanius Diaconus in 7. Synodo actio. 6. tomò eius 2. & rursus tomò 3. cum de Eusebio Pamphili. Præiuerant hæretici illi quos S. Ignatius epist. ad Philadelph. ait dixisse, Verbum fuisse Christo pro anima. Confutauit id in Ario S. Ambrosius I. de Incarn. Domin. Sacram. c. 7. August. har. 49. & S. Cyrillus tomò 6. Conc. Ephes. c. 17. Constat plerisque Apollinaristas, tandem fuisse in hoc errore. Cum enim vgerentur eo argumento, quod si Verbum, animam inferiorem rationali assumpserit, fatendum esset, assumptam fuisse à Verbo belluam in figura hominis, eo deuenerunt, ut negarent Verbum assumpsisse vllam animam creatam; ac proinde nihil in Christo fuisse dixerunt nisi carnem, cui Verbum esset pro anima. Ita refert & latè refellit D. August. q. 80. ex 83. & optime I. de agone Christi. c. 11. fuscque Gillebertus serm. suo 8. in Cant. Hic autem Apollinaristarum errori adhaerentes Ferentinales, prolapsi sunt in errorem alium, quo negant mortem Christi: eumque proinde, etiam è cruce depositum, effingebant viuum; vnde illis cum bello illata clades à Viterbiensibus, ut scribit Leander in Tulliar descriptione, & Molanus I. 4. de imag. cap. 12.

Potest secundò aliter accipi membrum illud secundum erroris Apollinarii. Nempe ita ut animam quidem aliquam creatam Christo concesserit, sed absque mente, id est merè materiale, & nihil supra sensitivam. Ita hunc Apollinarii errorem refert S. Augustinus tract. 23 in Ioan. ad illud, *seruauit animam Scripturam*, (ubi de fine assumptæ à Verbo animæ, loculenter.) Item in psal. 29. in præfatione enarrationis secundæ, & I. confess. c. 19. ac Theodoretus I. 5. decreto diuin.

D c. de

c. de Incarn. & lib. 4. hæret. Fabul. ac dialo. 2. initio aperteque habetur ex illis verbis Apollinaris, quæ Theodoretus citato capite refert. Negat enim Verbum assumptisse animam, [quia mens est supervacanea, ubi Deus est.] En mens, id est anima intellectiva. Quia tamen anima sensitiva & vegetativa cum ab anima rationali differunt, sunt materiales & corporeæ, nec efficiuntur supra carnem, inde factum est, ut plerique Veterum referant, Apollinarem negasse Christo animam creatam, & concessisse Christo solam carnem. *Σαρκὸς ἄψυχας*, ea ex causa, illum nominat Nazianzenus orat. 51. & 52. Eodemque referendum est, quod tradit Theophilus Alexand. episto. 1. Paschali, quosdam ex Apollinaristis statuisse pro Christi anima, *prudentiam carnem*. Eo quippe nomine intelligebant animam sensitivam carni implantatam & materialem, quæ in brutis habet rationem prudentis aurigæ ac directricis. Hæc expositio erroris ab Apollinare innecti quoad hoc membrum, videtur genuina. Fundamenta eius, referuntur ab Hieronymo pulo l. de Sectis num. 5. quod Verbum dicatur factum non anima rationalis, sed caro. Item quod Christi corpus dicatur templum. At templum carere anima rationali, nemo non videt. Quid quod ab anima rationali creata, timendum videbatur sanctitati Christi, ob renisum concupiscentiæ adversus rationem superiorem, animæ rationali infidentem? Memorat hunc metum horum errorum S. Ambrosius l. de Incarn. Dom. Sacram. c. 7.

Fuisse in Christo animam rationalem creatam, variè monstratur.

91. Sic expositum hunc Apollinaris errorem, plenè confutatur varij Patres, nominatim Nazianzenus orat. 51. & 52. Cyrillus l. de fide ad Theodol. *sub medium*. Fulgentius toto ferè lib. 1. ad Trasim. à cap. 8. Petrus Cluniacensis lib. 2. Epistola. 1. & alij mox adducendi. Multas Scripturas ad id congestit Armatus l. 5. de qq. Armeno. per 5. prima capita Sed ille locus est palmaris, quem Felix III. sic vrgit episto. ad Petrum Fullonem. [Dicere vni genitum filium & Dominum nostrum Christum Iesum perfectum, nec ipsum subsistere passionem crucis, sed unam Verbi Dei naturam incarnatam corpusque Domini siue anima & mente, Apollinaris hæresim roborat. Ille enim ignoravit, quod ab ipsis mundi nascentis exordijs, primum anima primi parentis nostri mortua est, vel in mortem præcipitata est, atque ita demum corpus. Dicitur quippe illi erat à Deo: *In quacunq; die comederis de ligno scientia boni & mali, morte morieris*. Itaque iuxta latam in illum à Deo sententiam, qua die comedit de ligno, in ipsa secundum animam mortuus est. Nam ipsius corporis mors, post nongentos & triginta annos contigit. Itaque Deus donum non dimidiatum fecit; sed totum simul Adam, ex utero Virginis sumpsit, ut etiam perditum totum saluum faceret, idcirco Dominus prædixit: *Ego animam meam pro omnibus meis pono*.] Optime quoque in hanc rem ex eo capite 10. Ioannis ratiocinatur D. Augustinus tract. 47. in Ioan. expendens verba illa, *potestatem habeo ponendi animam meam*: [Quis ponit? (inquit) quam ponit? Christus quid est Christus? Verbum & homo. Nec sic homo ut sola caro; sed quia homo constat ex carne & anima, totus est homo in Christo: non enim partem deteriorem suscepisset & partem meliorem deseruisset. Pars quippe hominis melior est anima, quam corpus. Ergo totus homo in Christo quid est Christus? Verbum, inquam & homo. Quid est verbum & homo? Verbum anima, caro. Tenete hoc; quia non defuerunt hæretici & in ista sententia, pulsi quidem iam elim à veritate Catholica, sed tamè ut fures & latrones non intrantes per ostium, insidiari oculi non desinunt. Apollinaristæ hæretici di-

ci sunt, quia ausi sunt dogmatizare, quod Christus non sit nisi verbum, & caro & animam humanam, non eum assumptisse contendunt: Nam & aliqui eorum fuisse in Christo animam negare non poterunt. Videte absurditatem & insaniam non ferendam, animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt: dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt animam hominis, sed illi abstulerunt Christo rationem, non tenendo rationem. Absit hoc à nobis in fide Catholica nutritis atque fundatis.]

92. Frequens est Patribus adversus hunc errorem, ea ratio quæ ex necessitate perfectæ sanationis nostræ petitur. Adhibet eam Fulgentius l. 1. ad Trasim. c. 8. & S. Martinus I. in Concilio Lateran. consultat. 5. citato Nazianzeno, qui eam egregiè his verbis proponit orat. 51. [Si quis in hominem mente carentem sperat, amens profectò est, nec dignus, cui omni ex parte salua afferatur. Nam quod assumptum non est, curationis expers. Quod autem Deo unitum est, hoc quoque salutem consequitur. Si dimidia tantum ex parte, Adamus lapsus est, dimidiatum quoque sit, quod assumptum est, & quod salutem accipit: si autem totus peccavit, toti quoque genito unitus est, atque omni ex parte salutem consequitur. Quocirca ne perfectam salutem isti nobis inuideant, aut olla solum & nervos, atque hominis picturam Salvatori tribuant, Nam si ipse inanimatus homo est, hoc etiam Ariani aiunt, ut passionem divinitati tribuant, tanquam videlicet quod corpus movet, idem quoque patiat. Si autem animatus quidem verum mentis expers, quo tandem modo hominis nomen sustinebit? Neque etiam homo animal est, mēte carens. Arque illud necesse est, ut species quidē & latua humana sit, anima autem equi cuiuspiam, aut bovis aut alius animalis mentem non habentis: Ac proinde illud quoque esse, qui salus affertur. Atque ego ab ipsa veritate delusus sum, ut qui, alio honore affecto, ipse gloriaretur, meque iactem. Si autem mentis particeps, non autem mente carens, homo est, desipere verè, ac mentis inopia laborare desinam.]

Fusus eandem argumentationem intorquet Nyssenus orat. 1. (imo 2.) contra Eunomium *sub finem*, nec non S. Augustinus serm. 145. de tempo. *in fine*. Nolo tamen prætermisum S. Paulinum cuius illa sunt & pia & erudita pro more episto. 27. [Hoc verbum, pietatis immensa mysterio, caro factum est, & habitavit in nobis. Non autem caro tantum corporis nostri, sed homo totus, & corporis nostri & animæ assumptione: anima autem rationalis, quæ iuxta naturale officium Dei, habet insitam mentem: alioquin in tenebris Apollinaris erramus, si hominem assumptum à Deo animam mentis humanæ vacuum, qualis est pecorum & iumentorum dicamus habuisse, & eum hominem quem suscepit Dei filius; qui necesse est ea veritate, qua veritas est, & qua creavit hominem, totum suscepit, ut corpus suum plena salute renouaret. Nulla est autem salus nostra, nisi plena est, quia non hominem, sed aliud nescio quod irrationabilis creaturæ animal suscepit Dei filius, si mentem suam propriam hominis assumpti animam non habuit, & contra naturam generis humani ille potissimum primogenitus omnis creaturæ homo in formam perfectionis humanæ assumptus, in tantum mente sua indignus, ut non de humano, sed de divino spiritu mentem habuisse dicatur. Quod illorum ore dicitur, in quorum corde concipitur hoc venenum, ut & veritas mentita sit.] Vtique, quia sæpius Christus Dominus, meminit animæ suæ rationalis, quam hic error vult sublatam.

Erroris contrarij, fundamenta convelluntur.

93. Fundamenta illius sunt planè ruinosæ. Non enim si Verbum dicitur factum caro, excluditur anima rationalis.

Inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis, quod homo iam damnatus intraverat.] B. Irenaeus perpulchre in eandem sententiam differt l. 5. c. 21.

Apellem haereticum similia cum Apollinare de carne Christi sydere nugaturum hoc argumento appetijt. Tertullianus l. de carne Christi c. 9. quod huc optimè cadet. [Quid dici: cœlestem carnem quam vnde cœlestem intelligas, non habet: Quid terram negas, quam vnde terram agnoscas, habet? Esurijt sub diabolo, sicut sub Samaritide, lachrymatur super Lazarum, ciepidat ad mortem. *Caro enim*, (inquit,) *infirmum*. Sanguinem fudit postremò. Hæc sunt, opinor, signa cœlestia. Sed quomodo, inquam contemni & pari posset, sicut & dixi, si quid in illa carne de cœlesti generositate radiasset? Ex hoc ergo conuincimus, nihil in illa de cœlis fuisse, propterea vt contemni & pari posset.] Similia argumenta addenfat S. Irenæus lib. 3. c. 32.

Denique insignis & frequens apud Patres est e ratio, quod qui venerat terrenos homines curare, congruum fuit vt corpore nostrate, & terreno, circumdaretur. Audi Fulgentium l. 3. ad Trasim. c. 34. [Illos etiam æterno condemnabit gehennalis tormenti supplicio, qui corpus Christi, non ex Virgine fatentur substantialiter sumptam, sed confingunt de cœlo depositum: cum Dei Filius, propterea de homine naturam fuerit dignatus corporis terreni suscipere, quia non venerat eos qui in cœlo, sed eos qui erant in terra saluare, sicut Apostolus dicit: *Nisquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit, unde debuit per omnia fratribus similis*. Suscepit ergo Filius Dei animam nostram, id est melius nostrum, quia melior est meliore nostro; de quo Ioannes dicit: *Maior est Deus corde nostro*, sed nō sicut etiam carnē nostram, id est infirmum nostrum suscipere, quia totum hominem venerat liberare, nec potuit infirmo nostro, infirmus fieri, per quem, infirmum nostrum in illud nomen, quod super omne nomen est, metuit exaltari.]

96. Encherius eandem argumentationem robustè intorquet homil. 11. de Pasch. verbis illis, [Sed dicis, quid tantoperè necesse fuit vt splendida illa & sincera diuinitas, humanae carnis experiretur iniurias? Quare non magis aliquid speciosum lucis corpus allumpsit? Non ita est; non hoc recipiebat ratio redemptoris nostræ. Nunquid lux ista peccauerat vt materiam lucis expiatiuis indueret? Per hanc itaque materiam creatura, nec mortis cōferre pretium, nec resurrectionis præferre potuisset exemplum. Nihil mihi contra hostem meum fiducia contulisset, si non in meo corpore triumphasset. Cur lucem susciperet, hominem redempturus inordinatum medici appareret ingentium, si humeris suis imponeret illasum, & negligeret vulneratum? Illa necesse est sanitatis arbitri membra contrectet, quæ grauibus morbis æstare perpexerit. In quo corpore timetur agnitudo causa, in ipso est exercenda medicina. Nunquid aliquid sollicitudo proficiet, si cum alium dolor teneat, alium cura confoueat? sic cum iste crebris anhelat siccis pulsibus virgeatur, alius pro eo desideratis aquarum refrigerijs irrigetur? Itaque sicut ad infirmum corpus, vel inopia confectum, nihil omnino beneficij vel fomenti peruenire posse dignoscitur, si pro eo alteri robusto alicui corpori reductio vel curatio ministraretur; Ita dispensatio redemptoris, nullam nobis contulerit vtilitatem, si non in nostra peregerit carne virtutem: & idè dum in corpore meo vincit, me contra hostem meum pius propugnator crexit.]

Optimè denique S. Chrysostomus, vt get pro hac veritate, quod ex eā maximè micuerit diuina sapientia atque potentia. Nā homil. 13. in epist. ad Rom. expēdens illud, *de peccato condemnauit peccatum, per carnem*, ait. [Quod maius censendum id victoriæ modus est. Neque enim aliam assumpsit carnem, sed ipsam hanc ef-

fictam, laboribusque confectam. Quemadmodum enim si quis vilem ac circumforaneam mulierem iterum venalem foro vapulantem intuitus, se illius esse filium profiteretur, reuera Regis filius cum esset atque hac ratione illam è manibus eorum à quibus male haberetur, eriperet; ita & ipse fecit, falsus sic esse hominis filium, patrociniū auxiliūque illi afferens, ac peccatum damnans. Non ergo autus est postea illam verberare: seu potius illam quidem verberauit mortis plaga. Inde effectum est, vt non ipsa caro verberata, sed ipsum peccatū verberans, damnatum sit ac perierit, id quod omnij est maxime admirandū. Nisi enim in carne victoria parata fuisset, nō tam mirandū foret, quando & lex hoc efficiebat. Mirum autem id est, quod vnā cum carne trophæum erectū est, & quæ millicies à peccato deiecta fuerat, hæc eadem splendidam contra illud victoriam tulit.] Hanc victoriam, & hæc diuina potentia (specimina, tollebat Apollinaris, sydeream Christo carnem pro nostrate affingens.

Fundamentorum eius, dissectio.

97. Fundamenta eius pro more haereticorum omnium, partim ex Scriptura, partim ex prætenso Christi honore petebantur. Sed vtraque planè inania & mirifica erant. Scriptura enim quibus abulsum Apollinarem refert Nazianzenus orat. 46. (Sunt autem illæ quibus Christus descendisse de cœlo dicitur,) aliud reuera non pertinent, quàm ad insinuandam diuinitatem personæ in hac humanitate sublitentis. Eaque etiam ex causa, Christus, *homo celestis* appellatus legitur. Quanquam potuit etiam homo cœlestis appellari ob vitam integritam, & vt dicere soleamus *cœlestem*; quam expositionem aequè instituto nostro commodantem, ex varijs Patribus adhibet Cornelius 1. Cor. 15. v. 47. Nec incongruè etiam dixerit quispiam, vocatum Christum hominem cœlestem, à cœlesti gloria animæ, qua potiebatur iam ex hac vita: Aut certè, quia non per virum, sed cœlesti opere in Virginis viscibus editus est. Quem sensum Scripturarū propositarum, apertè supponant qui proficentes Christi carnem esse & B. Mariæ visceribus petitam, inde tamen probant Christum esse Deum & hominem, quod dictus sit de cœlo descendisse, & esse homo cœlestis, vel homo de cœlo, aut esse in cœlo. Videndus S. Capreolus Carthag. in epist. ad Hispanos contra Nestorū, & S. Fulgentius l. 3. ad Trasim. c. 15. Multò minùs operæ est in explicanda locutione ab Agobardo improbata, recepta autem ab Ecclesia in Antiphona ad Canticum Desiparæ in primis Vesperis Natiuitatis Domini. Cum enim in ea Antiphona Christus dicitur procedens à Patre, signatur æterna generatio, cui subnectitur humana, cum additur velut sponsum de thalamo (vtique virginalis vteri) prodijisse, iuxta interpretationem verborum Psalmi 118. plerisque Patribus adamatam. Itaque nihil ibi cum Apollinaris errore commune.

Iam prætenso Christi honore, & remotio indignitatis, quæ Apollinaris nitebatur, friuolus planè prætextus fuit. Quod facile euincitur, præclara Nysseni disputatione his verbis concepta c. 27. orationis catechet. [Nihil tolerabilius videtur esse turpitudine & dedecus, quod Deus cœlestis corporis figuram susceperit, quàm terrestris. Ab eius enim qui est altissimus, & ad cuius altitudinem non patet aditus, natura ex æquo distat omnis creatura, & sunt omnia ei æqualiter subiecta. Nam id quod est eiusmodi, vt ad id omnino non pateat aditus non alicui quidem prebet aditum; aliquid vti ad ipsum non potest appropinquare: sed ex æquo vniuersa quæ sunt, superat, & supereminet. Neque ergo terra est remotior è supremâ illâ dignitate, neque cælum propinquius: neque quæ vitam degunt in vtroque elemēto, hæc in re quicquam à se

